

**Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!**

**Bei der Fertigung der Reinschrift der Übersetzung für Korrekturzwecke jede zweite Zeile frei lassen!**

*Phaedra äußert ihre Unzufriedenheit bezüglich ihrer Ehe mit Theseus.*

O magna vasti Creta dominatrix freti,  
cuius per omne litus innumerae rates  
tenuere pontum, quidquid Assyria tenuis<sup>1</sup>  
tellure Nereus pervium rostris secat,  
5 cur me in penates obsidem invisos datam  
hostique nuptam degere aetatem in malis  
lacrimisque cogis? Profugus en coniunx abest  
praestatque nuptae quam solet Theseus fidem.  
Fortis per altis invii retro lacus  
10 vadit tenebras miles audacis proci,  
solio<sup>2</sup> ut revulsam<sup>3</sup> regis inferni abstrahat;  
pergit furoris socius, haud illum timor  
pudorve tenuit: stupra et illicitos toros  
Acheronte in imo quaerit Hippolyti pater.  
15 Sed maior alius incubat maestae dolor.  
Non me quies nocturna, non altus sopor  
solvere curis: alitur et crescit malum  
et ardet intus qualis Aetnaeo vapor  
exundat antro. Palladis telae<sup>4</sup> vacant  
20 et inter ipsas pensa labuntur manus;  
non colere donis templa votivis libet,  
non inter aras, Atthidum<sup>5</sup> mixtam choris,  
iactare tacitis conscias sacris faces,  
nec adire castis precibus aut ritu pio  
25 adiudicatae praesidem terrae deam<sup>6</sup>:  
iuvat excitatas consequi cursu feras  
et rigida molli gaesa<sup>7</sup> iaculari manu.  
Quo tendis, anime? Quid furens saltus amas?

- Fatale miserae matris<sup>8</sup> agnosco malum:  
30 peccare noster novit in silvis amor.  
Genetrix, tui me miseret? Infando malo  
correpta pecoris efferum saevi ducem  
audax amasti; torvus, impatiens iugi  
adulter ille, ductor indomiti gregis –  
35 sed amabat aliquid. Quis meas miserae deus  
aut quis iuvare Daedalus flammis queat?

**1** *tenus m. Abl.:* bis **2** *solium:* Thron **3** *Gemeint ist Proserpina.* **4** *tela:* Webstuhl **5** *Atthides:* attische Frauen **6** *Gemeint ist Athene.* **7** *gaesum:* Wurfspieß **8** *Die Mutter von Phaedra ist Pasiphaë.*